

**Dissertatio medica de crisibus et diebus criticis : in usum alumnorum  
collegii medicinae peruanae, vulgo de la independencia, in civitate limana / à  
Emmanuele Valdes.**

**Contributors**

Valdés, José Manuel, 1767-1843.  
National Library of Medicine (U.S.)

**Publication/Creation**

Limmae : In Typograhiha [sic] Josephi Masias, 1841.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ae2znvq4>

**License and attribution**

This material has been provided by the National Library of Medicine (U.S.), through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the National Library of Medicine (U.S.) where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

159  
674  
1841

117

# DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> MEDICA

DE CRISIBUS ET DIEBUS CRITICIS

IN USUM ALUMNORUM

COLLEGII MEDICINÆ PERUANÆ

VULGÓ *de la Independencia*, IN CIVITATE LIMANA,

A D. D. EMMANUELE VALDES,

HUJUS COLLEGII DIRECTORE,

REIP. PERUANÆ ARCHIATRO,


IN DIVI MARCI ACADEMIA PRIMÆ MEDICINÆ

EXEDRÆ MODERATORE,

ET ACADEMIÆ MEDICINÆ MATRITENSIS

SOCIO.

LIMMÆ—IN TYPOGRAPHIA JOSEPHI MASIAS,  
ANNO—1841.



# DISSECTORIUM MEDICO

DISCUSSIONES QUADRIVIALES  
ET DISCUSSIONES QUADRIVIALES

MICROGRAPHIA MEDICO-CHIRURGICA

DISCUSSIONES QUADRIVIALES




Ea scilicet hoc sæculo in schola Medicorum os-  
citatio dominatur, an superbia, ut spreta Hippocratis  
monumenta nullo in usu, vix ullius habeatur pretii.  
Hæc tamen scrutanda, haec nocturna versanda atque  
diurna manu, prius quam bonæ frugis quidpiam ab Me-  
dico in ægros redundare queat, persuadere conabor—  
*Boerhaave De commendando studio Hippocratico*—

Ego Hippocratem pro omnium antiquissimo, et  
Pathologiæ primi ordinis auctore habeo. *Haller, in Me-*  
*thodo studii medici.*

Si centies hucusque citaverim vobis Hippocratem  
in præcedentibus, ne gravemini laudantem eum millies  
sequentibus—; Quem enim eo, ut citem, præstantiorem  
invenirem! Virum, é quo, quotquot in arte extitère  
boni, vel hausere sua, vel sua saltem propria inventa  
Hippocraticis confirmata, et corroborata viderunt: Vi-  
rum, cuius simplicitatis pertæsi arrogantes Philosophi  
præ aberrantis ingenii sublimitate, in crassos incidére  
errores; in verum tramitem reducti nunquam, nisi  
Hippocratis amplexi simplicitatem. *Haen, in Praelectio-*  
*nibus pathologicis*





## PROLATIO AD COLEGII

### MEDICINAE PERUANAЕ TIRONES.

**N**ON tantum documenta ad morbos pellendos, sed etiam ad eorum exitum praesagiendum medicina tradit. Ideoque hujus scientiae periti cultores magnam sibi aestimationem et auctoritatem comparant, et quia aegrotis gravi morbo oppressis salutem feré semper restitunt, et quia suarum praedictionum solertiam eventus multotiens confirmat. At contra, qui saepe in praesagiendo decipiuntur, hospites in medicina censentur, et si honorificum nomen casu adepti erant, hoc facilē et cum dedecore amittunt.

Haec tamen perutilis scientiae pars, quae in presagii peritia versatur, omnium medicorum qui Hippocratem praecesserant, captum effugerat, tametsi post Adami lapsum, in cuius sceleris poenam morborum cohors terris incubuit, homines, et praecipue qui se ad artes scientiasque transtulerant, per tot saecula propria et aliorum tristi experientia edocti, latentes naturae nixus detexissent, per quos amissam sanitatem recipiebat, aut se dumtaxat allevabat, et ad subsidia, quibus in pluribus morbis opus erat, mira et salutari excitatione vergebant.

Saepissimē enim in eorum conspectu asthmatici ob spiritus interclusionem penē confecti, ad fenestras apriendas, liberumque aerem ducendum adigebantur; et in gluvie obruti, ad onus viribus impar per vomitum, vel alvum deponendum. Perspicuum quoque erat illis febri ardenti correptos, diluentia, acida, horaeosque fructus inhibere: rheumatismo vexatos anram frigidam difugere, partique dolenti, quō fotu calido et humidu laxaretur, manus apponere: caeterisque morbis affectos noxia ferē semper fastidire, et salubria concupiscere. Idcirco quem

## ( IV. )

in belluis miramur instinctum, pauciens desideraremus, ni multorum hominum coetus, magnarumque Societatum institutio, é quibus pravi mores fluunt, et novos progeniuerent morbos, et priscos in pejorem statum degenerare fecissent. Propterea mirum non est impolitos populos, et paucis et simplicibus conflictari aegretudinibus, et per remedia etiam simplicia, quae naturalis instinctus, casus, et analogia aperuere, faustos experiri eventus.

Praeter has corporis vivi in morbis medendis facultates, unus ante omnes ingenio praestantissimus Hippocrates Cous, summa assiduitate comperit, eodem principio ac in corpore benevalenti functiones illo ordine et regularitate fiunt, á quibus sanitas dependet, in statu morboso vel quasdam ex illis, vel cunctas simul inverti; naturalisque toto tempore, quo lucta cum morbo perdurat, in hujus expulsionem, et in sanitatis receptionem totam pené incumbere: atque ideo corpus involucro tegi magna sensibilitate et irritabilitate praedito, quod excubias semper agendo, causis morbificis ubique disseminatis aditum praeccluderet; et penetralibus iisdem proprietatibus vitalibus donatis, eas corrigendi, irretiendi et amandandi, si forte in ea irrepsarent, facultatem fuisse concessam.

Quibus principiis imbutus medicinae Parens, verae Pathologiae fundamenta jecit, et praecipuam naturae proprietatem aperire et enuntiare promeruit, per quam noxiae materiae, quae illi, ut morbum produceret, vim intulerant, vel succis naturalibus assimilantur, vel emendatae certis et praecognitis diebus é corpore pelluntur. Et in climate ne tantum quo degebat, an in caeteris quoque, naturae humanae eadem fuisset donata potestas, Delium Graeciae temperatiorem partem, Scytiam frigidissimam Asiae regionem, Libiamque ardentissiman peragravit; et quum ex propriis in his, tum ex filiorum Tsalii, Draconis, generi Polybii, caeterorumque discipulorum, quos in dissitas partes misserat, observationibus iteratis, hanc non alicujus loci, sed ubique terrarum naturae proprietatem esse cognovit.

¡Quam pené divina in hoc naturae conflictu medicina apparel! Nam, quemadmodum Phisicus, orbes quos planetae conficiunt celeritate mirabili, calculo subjicit, Solis, aut Lunae defectionis diem, horam, ac deliquii tempus,

rudi ac pavido populo praenuntiat; pari pene modo clinicus, ex morbi natura, aegrotantium viribus, pulsuum et urinarum mutatione, diem, viam, et modum futurae iudicationis multoties praedixit.

*i*Quis talia contemplando, in admirationem non rapitur, laudes, et benedictionem Divini Conditoris? *i*Quis cum Psalmista non exclamat: Opera Domini magna, exposita omnibus qui delectantur in illis, gloriosum et decorum opus ejus? (\*)

Sed quamvis veteres, et nonnulli recentiorum natu-

(\*) *Disceptant Physici, an ab corpore ne tantum, an ab anima, an ab alio per se existenti principio, haec hominis vivi mira facultas deducenda sit: ast cum illis non congregiar; et cum Sidenhamo eam plane me nescire fateor. Neque vero quisquam aliis (quod sciam) in hac re tam praeclarè se gessit, ut arcanum hoc satis enarrasse videatur. Placuit Aristoteli et Teophrasto, materiam vitae characteribus insignitam, quam Physim seu naturam Hippocrates nuncupaverat, vitale principium nominare: quod nomen post tot saecula cassum, et à neotericis Apino, Gauvio et Barthesio renatum, apud novissimos Phisiologos usurpatum est. Per naturam vero nil aliud quam ipsam Dei vim Duretus, et Hollerius perceperunt: eam Helmontius definivit, Jussum Dei quo res est id quod est, et agit quod agere jussa est. Palingenius idem sentit his versibus:*

*Naturam vero appello legem Omnipotentis  
Supremique Patris, quam prima ab origine mundi,  
Cunctis impossuit rebus, jussitque teneri  
Inviolabiliter....*

Elegantius Cardinalis de Polignac:

*Natura quid est? aut illo nomine primam  
Rerum cunctarum causam, numenque supremum  
Singula prospiciens intelligis, et DEUS hic est:  
Aut sic appellas natam servire patique  
Materiem certis parentem legibus, orbam  
Mente et consilio, vi bruta atque impete pulsam.  
Dic igitur, num tanta queat prudentia caeco  
Principio affungi, nullum cui cernere finem,  
Nullas nosse vias datur, aut intendere quidquam?*

rae facultatem adscriberent omnes feré morbos solvendi per manifestas excretiones, eorum praecepta in nostra re-  
gione sibi tantummodo vindicant acutae febres, et  
praecipue graves viscerum phlegmasiae. Et etiam in  
his quae p̄ae caeteris acutis crism et dierum criticorū  
motibus obtemperant, praesagii regulae clinicos  
nonnunquam fallunt, ob morbi speciem, aegri aut ser-  
vientium errorem, vel ob epidemicam constitutionem.  
Ideo Hipocrates in aphor. 19, sect. secundae, cautos et  
prudentes vult esse in praesagiendo medicos, his verbis:  
“Acutorum morborum non omnino tutae sunt praedi-  
tiones.” In morbis quippe, qui ápraeexistente alicujus  
organi vitio ortum ducunt, dubia debet esse prognosis, at-  
que in aliis etiam quos in Dissertatione memorabo. Er-  
rores qui in regimine committuntur, sunt praesertim vic-  
tus potusque morbi naturae minime congruentes, subita  
ac violenta animi commotio, aerque frigidus corpore ca-  
lenti susceptus. Sed graviorem inferunt noxam assi-  
deutes qui blateronibus et sicophantis fidem habent, atque  
aegrotis consuadent, ut nesciente, aut dimisso medico  
illis medelam committant.

Faeminam gravi pleuritide jacentem, quae, post ite-  
ratas venae sectiones quarto morbi die, certa mihi indi-  
cia dederat criseos per sudorem, et perfectae resolutionis  
in septimo; quaedam mulier in sexto die duo ova gallina-  
cea igne indurata, et thure plena edere jussit; quo cibo  
praegravido onusta, mane sequenti misera aegrota coma-  
tosa occubuit.

Hippocrates, Sydenhamus, Vanswietenus, Hae-  
nius, caeterique sapientes clinici referunt, epidemicos  
morbos plerumque á naturali cursu discedere, ac raró crisi-  
m et dierum criticorum legibus parere. Sed in epide-  
miis quae sub placido jove Limano identidem grassantur,  
unam tantum adimadverti anomalam, febrim scilicet scar-  
latinam mali moris, quae plures sequioris praecipue sexus  
anno 1795 interemit, et quam venae sectione et emetico  
frustra praetentatis, aqua nivali á nullo antea exhibita  
fausté pepuli, aliique medici postea meo suasu pe-  
pulerunt.

His exceptis casibus, praecepta quae á medicinae  
Parentibus accepimus, et diurna praxi confirmavimus,

rarissimé in morbis acutis febrilibus á sapientibus clinicis desiderantur, eorumque benigna, gravi aut dolosa indele perspecta, vel morbi medelam soli naturae committunt, vel remediis experientia sancitis inmodicos ejus nixus compescunt, aut abnormes praepediunt.

Hanc veró doctrinam flocci faciunt novissimi systematici medici, quibus validissima excitantia, aut alia formidolosa medicamenta, etiam in acutis, mos est praescribere per totum morbi decursum: nam organa jam vi concitata morbi proritando, nec naturae opitulantur, nec eam, ut sese de mortis disserimine elabi possit, parem esse sinunt. Sed quāvis illi omnes convenient in omittenda venae sectione, in hirudinibus locis quibuslibet apponendis, et in praesagii scientia proterenda; discrepant tamen in remediorum praepostero usu, quae quisque praecipue commendat. Alii etenim cunctos pené morbos, et etiam inflammatorios hydragiro abigere conantur; alii emeticis et catharticis fortissimis revellendi scopo; alii denique stramonio, hyosciamo, aconito, belladona, acido prusico, caeterisque hujus generis periculo plenis narcoticis.

Quamvis ab hac perturbatrice, et plerumque funesta methodo vera Terapeja recedat, planē sciunt sapientiores medici, qui systhemata, quae ante oculos eorum, quotannis in Europa conduntur, sibique mutuo obsistunt, in qua parte contra expertorum clinicorum praxim stant, firmiter aspernantur. Et ego aemulator eorum, ut plures nostratum medicos ab systematicis scriptoribus diductos, in pristinum statum revocarem, clinicas Dissertations propriis observationibus innixas praelo mandavi, nec ab incepto, dum vixero, abscedam.

Ne igitur vos, dilectissimi tirones, in hac praesagiendi intricata medicinae parte, quae multum ad Therapejam confert, novatorum errore itidem capiamini, antequam in clinica versemuni, memoriae tradite præcepta, quae post assiduum veterum et recentiorum studium, diurnamque experientiam, vera esse in hac materia didici, summoque labore in breve opusculum redigi.

In ista epitome hanc arduam rem sophisticis vanisque systematibus involutam, perspicuam, et é tenebris in lucem veritatis erutam habetis. Quam, si attenté cum naturae patientis salutaribus molimentis contuleritis, ve-

am esse deprehendetis. Hujus doctrinae gnaris facile est mente capere in acutis pathologicum penetralium statum, functionumque sibi peculiarium varietatem et inversionem, quas natura à morbo lacessita producit. Et si vos quoque, ad cuiuslibet aegri acuto morbo vexati aspectum, eas complexi fueritis, in paucos hujus aetatis clinicos referri merebitis; et clinices Peruanae veterum et neotericorum sapientum experientia suffulta, perennitatem capessendo, nullus medicorum, qui systematicos aut empiricos libellos avide arripiunt, et magni pendent, in suam sententiam vos traducere poterit.

Hanc igitur praesagii scientiae perochiam perlegendendo callete, nec unquam ex animo vestro efflant documenta quae in ea vobis trado, nec quae in hac proluSSIONE

**DIXI.**

## DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> MEDICA

### DE CRISIBUS ET DIEBUS CRITCIS.

**Q**UANTUM ad praxim medicam, recteque in morbis acutis praesagiendum, mira et nunquam satis commendata crisiū ac dierum criticorum doctrina conferat, veneranda Hippocratis monumenta pervolventibus aperatum est. Sed si quid est in praxi medica non minus certum quam obscurum, valde revera est in morbis acutis criseos, et dierum criticorum negotium. Nil ergo mirum, si partim neglectum, partim a quibusdam priscorum et neotericorum in dubium videatur revocatum. Primus ex veteribus Asclepiades, teste Coelio Aureliano, dixit, non esse in passionibus statos dies quos crismos appellant, etenim non certo aut legitimo tempore aegritudines solvi. Et Celsus lib. 3. cap. 4. asserit: "Est autem alia etiam " de diebus ipsis dubitatio, quoniam antiqui potissimum " impares sequebantur, eosque tanquam tunc de aegris " judicaretur, crismos nominabant. Ideo Asclepiades " jure ut vanum repudiavit, neque in ullo die, quia par, " imparve esset, aegris vel magis vel minus periculum es- " se dixit. Nonnnuquam etiam in ipso morbo dierum " ratio mutatur, fitque gravior qui remissior esse consue- " verat. Adeo apparet, quaquamque ratione ad nume- " rum respexerimus, nil rationis reperiri. Verum in his " quidem, antiquos tunc celebres admodum Pithagorici " numeri fefellerunt; quum hic quoque medicus non nu- " merare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri. Vanhel-

mont, Hélmontins, aliquie sectae chimicorum plurimi, nunquam crises fieri asseverabant, ubi medicus artis suaegnarus morbum ante crisis spectationem sustulit. Boni ergo et fidelis medici esse, quotquot per crisim evadunt, multó magis quorum crisis tardior est. Hollerius in commentario aphorismorum Hippocratis rarissime in Borealis regionibus crises observari affirmat. Baglivius acerrimus Hippocratis, et ejus super crises doctrinae propugnator; "Mirari desinant practicantes (ait), si hodie, "nec frequenter nec perfecte succedant crises, uti olim "in Graecia, siquidem illi graecarum legum vel ignari vel "obtrectatores, a principio morbi ad declinationem usque purgantibus, diaphoreticis, spirituosis, aliisque im- "prudenter et intempestivē exhibitis medicamentis, ferē "conficiunt aegrotantem. Ideo impossibile est ut humores "per tam diversas remediorum seditiones distracti, ad "criticae despunctionis negotium statu tempore dispo- "nantur; sed assiduis confusionibus agitati, loco criseos "perfectae in metastases praeter naturales desinant: at- "que hac de causa, nec criseos, nec dierum criticorum, "nec aliorum demum naturae motuum regulas ab antiquis "traditas in febribus observabimus.

Lucas Tossi, qui in aphorismorum Hippocratis expositione, plus oppugnatoris, quam commentatoris partes sibi vindicavit, omni ope annixus est crisiū et dierum criticorum doctrinam refellere.

Sunt qui crises admittere coacti, dies esse negant, qui criticorum nomine meritō insigniantur, quia in singulis, natura vel morbo oppressa succumbit, vel eo superato, victrix evadit. Aliis, obscuritate perspecta et dissimilitudine, qua haec materia in variis Hippocratis libris acta reperiunt, visum est hoc studium multum laboris et perplexitatis, et nihil emolumenti secum afferre: propterea inculpatim omitti posse, ac potius naturae dono quam proprio labore et constanti observatione clinicos quosdam in scientia praenotionis et praesagii claruisse.

Alli denique nostrae aetatis, qui novorum systematum litteras arripiunt, et quaeis copia hujus doctrinae ad lectos aegrorum comprobandae concessa non fuit; quoniam eam variis astronomorum et medicorum scholasticorum hypothesibus permixtam et implicatam animadvertisunt,

temere aspernantur, lumen à tenebris, verumque à falso discernere, et seponere nescientes.

Hos omnes aggrediar, veritatem crisiūm, ac dierum criticorum demostrando; numerum dierum verē critico-rum recensendo; adversariorum denique objectiones confutando.

Primō Galenum hujus veritatis fidelissimum testem producam, tantum praesagii peritia conspicuum, ut fama pervagatum fuerit, Pithium Apollinem per ejus os vaticinari, ipso que numine afflante, et remedia efficaciora aegrotantibus praescribere, diemque et horam, qua ii à morbis liberarentur praenoscere, Et quid mirum! si singulares ejus et pervulgatas praedictiones confirmavit eventus? Philosopho Eudemo in rigore et horrore primae accessionis febrilis, quartana laboraturum praedixit, ac diem, qua per alvi dejectionem optime judicaretur, postquam medici quibus utebatur, omnem ejus salutis spem amisserant. Sexto Senatori Romano morbo acutissimo decumbenti, hunc sexto die cessaturum, decimo quarto redditum, decimo septimo per sudores integré solutum iri praesagivit: ac denique cuidam juveni Romano febre acuta laboranti, quoniam dextra nasi pars, et ejusdem lateris mala rubicundiores apparebant, coram praecipuis medicis, qui sanguinem mitti jubebant, citam è nare dextra haemorrhagiam, qua febris sine venae sectione ipso die abitura erat, impavidé praedixit, et dum caeteri medici eum, ob tale praesagium irridebant, sanguinem ad quatuor libras et semissem è nare dextra profluere viderunt.

Post Hippocratem et Galenum, in memoriam revocabo Sennertum, Sthalium, Hoffmanum et Stóllium in Germania, Sydenhamum Freindium et Meadium in Anglia, Boheraavium, Vanswietenum et Haenium in Batavia, Baglivium in Roma, Fracastorium et Prosperum Alpinuu in Italia, Duretum, Baillonum, Fernelium et Pinelum in Gallia, Tissotum in Helvetia, Vallesium Solanum et Martinez in Hispania, aliosque innumeros clinicos, qui omni aevo per totam Europam emicuere. (\*) Et etiam his temporibus, et

---

(\*) *Le puis assurer que depuis p'res de Vingt ans que le me livre a l'exercice de la médecine, l' ai constamment observé les crises aux époques observés par Hippocrate,*

in hac dissita mundi plaga insigniores limenses medicos qui nos praecesserunt, in nosocomiis eandem suis auditoribus doctrinam demonstrantes; et me quoque, qui licet tantorum virorum movissimus sim, quoniam ipse paeceptis Hippocraticis ab studii medici primordiis imbui atque enutrirī innitebar, mearum in praxeos exercitio praedictionum comp̄s ferē semper extiti.

Laetus enim recordor, me multis abhinc annis in consilium cum quatuor medicis susceptum, ad perpendendum quid negotiatori gravi pleuritide laboranti utilius credetur, qui septimo morbi die sudoribus copiosissimis sincopaticis pereundnm sibi esse videbatur, vescantia et alia medicamenta quae post iteratas venae sectiones cubicularii medici apparabant, ut noxia contempsisse, morbumque ipso die abitum ire denuntiasse. Et quatnō elapsis horis, eum, quem omnes desperatum, atque brevi decessurum ē vita praenuntiabant, jam ipsummet fidem praedictioni facientem, vivum et incolumem salutasse.

Quantumvis de crisibus, criticisque diebus doctrinam nostra Patrumque experientiā, verām esse sentianus, non abs re mihi videtur, eam quoque argumentis ex analogia depromptis comprobare. Idcirco morbos percūrrere convenit crisiū et dierum criticorum legibus adeo apertē submissos, ut de hujus doctrinae certitudine nullus relinquatur ambigendi locus.

Ex quō dira variolarum lues in totum terrarum orbem invexit, paucissimi erunt qui vel variolas non sint passi, vel alios haud viderint, his correptos. Nam licet divino favente numine Vaccinae fluidum, earum mirabile prophylacticum prodiderit, et ad nos pervenerit, tristi fato apud nostrates ille infensissimus morbus suum adhuc terrificum exerit caput, suas instaurat strages.

*lorsqu'une médecine perturbatrice ne changeait pas la marche naturelle des maladies. Les élèves qui ont suivi mes cours de médecine clinique à l'hospice de la Salpêtrière, ont souvent vu les crises s'opérer l'es jours critiques, même chez les Vicilliards*

*Landré-Beauvais in Dictionario scientiarum medicarum Articul. Crise.*

Omnibus etiam notum est, post susceptum in corpore contagium variolosum, nausreas, vomitus, anxietates excitari, spiritum difficile trahi, caput, artus, coxamque magno affici dolore. Quae phoenomena ortum ducunt ab organis stimulo varioloso lacesritis, hunc ad partes ignobiliores ultro propellere conantibus. Febris eodem tempore acceditur, quae inter tertini et quartum diem criticè solvit per papularum eruptionem, si nihil veneni intus remaneat quod stimulum perennet. Et quum variolae (de regularibus loquor) tam in Borealibus quam in meridionalibus, atque etiam in ardentissimis regionibus eadem pariant phoenomena, legem aeternam arguunt, cui obtemperat natura, ut ab hoc acri venenoso sese expediat, eum in cutim amandet, ibique in pure. quod inflammationem subsequitur, irretiat, forasque pellat. Idem quod de variolis, de morbilis, scarlatina febre, aliisque exanthematicis febribus judicium ferendum. Attamen, quum in his materia morbifica impar sit ad cutim similiter afficiendam, quae tuberculos phlegmonodes, ut in variolis producat, eos tantummodo parit, qui erisipelatis indolem referunt, et qui huic pariter per quamdam desquamationem solvuntur.

Alius morbus communissimus, apud nostrates endemicus, et à quo non multi inmunes videntur, est febris intermittens: ideo pene omnibus ejus cursum, et phoenomena observandi sese obtulit occasio. Tertiana v. g. *exquisita*, verno praesertim tempore, alternis diebus, eadem ferre hora aegrum adoritur; frigore et artuum tremore incipit, quos febris subsequitur ardens, quae duodecim elapsis horis per sudores evanescit, et quae post septem accessiones, id est, quatuordecim dies, perfectè solvit, si prius non conspiatur per Kinae Kinae pulverum, vel ejus sulphatis usum. Ita, si vel singulae accessiones, vel si cunctae tantum in haec febri unum censeantur esse morbum, semper liquido patebit tempus à natura praeordinari, quo ille morbus judicetur, eaque vasa secretoria et excretoria semper praesto adesse, quae causae morbificae. materiaeque peccantis expulsioni aptissimè congruant.

Nec minori frequentia nostro sub jove, ac praecipue autumnali et verno tempore pleuritides, anginae, caeteraeque phlegmasiae, grassantur, ob subitam et crebram ca-

lidi aeris in frigidum conversionem: horumque morborum nullum, nisi certis et prae cognitis diebus unquam cessisse, etiam lippi et tonsores experientia edocti una voce fatentur.

Si igitur in dubium verti nequit, plurimos existere morbos qui criticé solvuntur; /cur de reliquis acutis febrilibus, qui sine manifestis excretionibus, raro, aut nunquam evanescunt, idem non feremus judicium? Incredibile est enim, naturam in hac salutifera humorum expulsione, illum non servare ordinem, quem in caeteris naturalibus actionibus seryare videmus: alioquin in morborum initiis, quia materies acrior est quam circa finem, ob idque partes plus lacescit, et ad excretionem concitat, judicia frequentiora et securiora forent. At contrarium omnes clinici experimur: quippe tantummodo in statu, vel declinatione morbi, quum materia jam vitae viribus subacta, et emendata evadit, et in pondere ac figura, aliisque caracteribus, eo modo humorum naturalium, vel ex toto vel ex parte indolem refert, quo vasorum secretiorum peculiarem sensibilitatem afficiat, ut per haec sugatur, et per excretoria expellatur, salutares excretiones natura molitur. Et si quae in initio, vel aumento morbi, vel p[re]virum inopia, vel p[re]nimia humorum acreidine, dejectiones contingunt, ancipitem semper praenuntiant eventum. Si diurna ergo et constanti experientia, si Patrum medicinae consensu, si ratione et analogia, dierum criticorum doctrina clarescit, quantumvis eam sophistae et pseudo—medici obnubilare velint, semper inconcussa manebit. Attamen parum ad rei propositum conferret crisium et dierum criticorum veritatem planam facere, nisi quid per eas intelligendum sit, exponerem, hosque designarem. Sed antequam criseos veram et perutilem diffinitionem tradam, quo sensu medicinae Parentes, et celeberrimi clinici eam acceperim, paucis dabo.

At primó Hippocratem et Galenum variis in locis, citam morborum terminationem in salutem vel interitum, in meliorem vel deteriorem statum, crises nominasse, compertum est. Hippocrates lib. 1.<sup>o</sup> epidem. sect. 3 ait: “Animum advertere, et nosse oportet his in temporibus, “ futuras judicationes ad salutem, aut perniciem tende-

“ re, vel momenta in melius, aut deterius facere. Galenus hanc crisis diffinitionem tradit in comment. aphorism. 3., §. 2. “Judicatio est subita in morbo ad sanitatem vel “ad mortem commutatio. Et in aphor. 23. ejusdem, 2. sectionis ita incipit: “Acuti morbi magni sunt, et ad suum “vigorem celerrime properant. Non absque ratio ne igitur in paucō tempore magnas etiam faciunt permutaciones, quod idem est quod judicari. Hujuscemodi enim permutationes, quando universim in morbo fiunt, Hippocrates crises vocat, id est jndicationes: in quibus nonnunquam subito integra sanitas restituitur, aut moritur aeger: nonnunquam vero magna fit vel ad salutem vel ad mortem permutatio; non tamen aut subito sanantur, aut moriuntur.“ Plures alios textus producere poteram, quos, quia idem sonant, brevitatis gratia missos facio.

Alii vero eorumdem medicinae Principum textus in memoriam revocandi sunt, qui diversam et oppositam vocis crisis notionem significant. In lib. de septimestri partu, conceptiones, abortus, et partus crises nominat Hippocrates per haec verba: “At vero mulieribus fetuum conceptiones, et abortiones, et partus eodem tempore judicantur, quo et morbi, et sanitas, et mors cunctis mortalibus contigunt.“ In lib. de affection. ait: Judicari autem morbi dicuntur, quum increscunt, aut exolescent, aut in aliud transeunt aut desinunt. Crisis etiam pro ipsa morbi accessione sumitur ab Hippocrate in aphorism. 19. lib. 1., cuius en littera: “Iis. qui per circuitus accessiones habent, nil dare oportet, neque cogere, sed substrahere de cibis ante judicationes. In cuius expositione Galenus ita ait: Quod autem dicitur ante judicationes, id intelligas, vel ante accessiones quascumque simili, vel ante morbi vigorem, vel ante illas quae propriæ judicationes nominantur.

Sunt etiam varia loca, in quibus crisis apud Hippocratem et Galenum, perfectam morbi solutionem significat, et eam quae extra omnem periculi aleam posita apparet, ut in libro de ratione victus in morb. acutis: in cuius commentario scribit Galenus, crisim dici, aut perfectam morbi solutionem, aut adeo insignem mutationem, ut aeger exira omne periculum videatur constitutus, Et Hippo-

crates in aphor. 13. lib. 2. ait: "Quibuscumque crisis  
" fit, iis nox gravis ante accessionem; quae verò subsequi-  
" tur, magna ex parte levior existit. Per crisim enim  
proculdubio hic intelligitur ab Hippocrate bona judicatio:  
nam post malam, aegri vel in pejus constituuntur, vel è  
vita decedunt. Galenus denique post tam diversas hujus  
vocis interpretationes, in lib. 3. de Crisis. ait: Sola igitur  
subita ad sanitatem conversio simpliciter crisis nomi-  
natur, et quidem omnino fit per manifestas quasdam ex-  
cretiones, aut effatu dignos abscessus. Ex quibus texti-  
bus planè colligitur, medicinae Parentes singula molimi-  
na, et tam ea quae ad corpora noxia et extranea extur-  
banda, et ad sanitatem deperditam recuperandam, quam  
ea, quae à valida vi morbi natura oppressa et exagitata,  
iu sui ipsius attenuationem, vel interitum emititur, latè lo-  
quendo crisim nominasse: strictè verò tantummodo eam,  
quam morbi solutio festinanter prosequitur.

Nec desunt celeberrimi medici, qui post Hippocra-  
tem et Galenum hanc distinctionem admiserint. Brevita-  
tis causa Holerium dumtaxat et Duretum Hippocratis fi-  
deles asseclas, ejusque sapientissimos commentatores in  
medium proferam. Primus enim in Coac. 26. sect. 2. lib.  
5. sic ait: "Proprie crisis est, quum subita mutatio fit  
" ad salutem, quae antegressis signis praenuntiata sit, et  
" excretione insigni, vel abscessu absolvatur." Secundus  
in Coac. 23. cap. 1. trat. 4. ait: Non enim mutatio est  
salutaris, nec verè critica, in qua vomitus ex flavo niger  
aparet.

Hiuc apud recentiores medicos (ne ex opposita unius  
vocabuli significatione confusio oriretur), omnes corporis  
aegri excretiones inter criticas et symptomaticas dividen-  
di mos. Quarum primas, si per loca conferentia fiunt,  
medici est, vel solum permittere, vel etiam juvare; secun-  
das vero, aut ex toto cohibere, aut, ad minus moderari. Ita  
Boheraavius, qui in aphor. 931 et 932, institutionum medi-  
carum, crism in scholis receptam inter bonas et malas  
divisionem propugnare videtur, in sequentibus usque ad  
941, hanc plane rejicere visus est; magnam et perutilem  
distinctionem stabiliendo inter phoenomena critica, quae  
à vita triumphante, et in symptomatica morbi, quae à na-  
tura valde lacessita, aut labefactata procedunt. Sed aper-

tissimé et multo clarius Boheraavio, celeberrimi Castelli et Quesnai praedictas crisium differentias funditus evertere conati sunt, solasque humorum excretiones quae sanitatem post se trahunt, inter criticas adscisci debere propugnantes. In suo Lexico medico sic loquitur Castelli in verbo Crisis: "Quibus ita positis, facilé quilibet rem " antea intricatam penitus considerans, neque quamvis " mutationem ad vitam vel mortem, in melius vel deterius " recté dici crisim, quia mutatio quae fit in deterius, non " fit virtute aut vigore naturae, sed potius vi morbi.... " Relinquitur ergo crisim saltem dici adaequate, quando " beneficio virium vitalium, hoc est naturae, et adhuc suf- " ficientis vigoris humorum, et spirituum, causae morbi. " ficiae fit remotio, et aegri a morbo liberatio.".... Conci- " dit ergo, stante hac sententia, distinctio inter crisim bo- " nam et malam, quum mala nulla detur." Quesnai in suo de febrium tractatu, Gallico sermone scripto, veterum placita circa crises in judicium adduxit, invictissimisque argumentis bonas tantum crises admittendas esse censet.

Quantum emolumenti haec vera et unica crisium acceptio in praxi medica afferat, quantas difficultates tollat, quantasque lites dirimat, patefactum judico. Ea enim clinicum in praesagiendo illustrat, et in medendo firmat: nam, si singulae acutorum morborum accessiones, si quae, vel morbo remittente vel ingravescente, mutationes sibi succedunt; si denique tamen morbi, quam virium perfecta solutio ad crisim referantur, uni tantum et ambigui sensus voci contrariae, et quae sese mutuo repellunt ideae respondebunt. Praeterea, si crisis nomen *apo to Krinein*, id est secerno, ut Prospero Alpino, et aliis placuit; si per illam noxii humores secernuntur, et e corpore exturbantur, ut Galenus ait, crises bonas omnes esse sequitur, morboque acuto confectos non critice, sed per crisis defectum, aut imperfectionem interire.

Per crisim igitur intelligi debet subita a natura victrice in morbis acutis materiae vel morbum facientis, vel a morbo aut productae, aut suppressae, salutaris excretio, sive ad emunctoria protrusio, per vias et causae et morbi sedi congruentes, praecedentibus coctionis signis, certisque diebus qui decretorii nominantur.

Subitam dixi crisim esse debere, ut inter eam, et quae

illi adversatur *lysim*, discrimen notetur : lentam enim morbi solutionem, vel in aliud morbum conversionem, cum Hippocrate et Galeno *lysim*, subitam cum iisdem *crisim* medici dixere. Et quamvis per utramque morbi judicentur, aegrique sanescant, hi subito per *crisim* extra aleam positi sunt, minimē verō per *lysim*, quoad morbi materies vi vitae correcta, é corpore intégré expellatur. Tristi enim experientia omnis aevi medici veritatem hujus sententiae Hippocraticae in aphor. 12. sect. 2, ad lectum aegrorum notavére; *Quae relinquuntur in morbis, recidivas facere consueverunt.* Qua doctrina imbutus rerum ab Alexandro magno gestarum luculentus scriptor, in lib. 6. hanc nobis admonitionem dedit: “*In corporibus aegris nil quod nocitum sit, relinquas.*

Alia non minus notatu digna inter *crisim* et *lysim* differentia adest: nox enim quae ante lysis initium, nil plerumque memorabile offert, haec ante *crisim* gravis est, teste Hippocrate in aphor. 13. sect. 2. antea citato. Quam gravitatem perturbationes criticas clinici dicunt, et a materia jam cocta, ut minus laedat, a sanis humoribus secreta, et cum sanguine huc, illucve perlata ortum ducunt: ea etenim suo pondere, copia, qualitate organa pertransiendo ad expulsionem lassessit, variaque et terrificā phœnomena progignit. Notabiliora Galenus in lib. 3. de Cri-  
“ sib. cap. 10. his verbis graphice descriptsit: *Omnino enim fit aliqua novitas, quando crisis futura est, vel circa respirationem, vel circa mentem, vel auditum, vel visum, vel ferendi facilitatem, vel circa aliquot eorum quae saepe diximus, quae uno nomine summatim judicia ac cidentia, et signa appellantur.*

Sed fortassis plurimi eorum, qui omnia veterum placita respuunt, Hippocratis ejusque asseclarum de materia morbifica doctrinam hac objectione conabuntur evertere. Undenam (dicent) haec in feribus acutis critica materies? Nonne sine ulla praeexistente in corpore sanissimo morbosa materia, à sola cutis prefrigeratione, vel nimia incalescentia, a vasorum irritatione, ab animi pathematis febriles plerumque motus insurgunt? Ita revera: sed etiam in his allatis exemplis morbi materia praesto adest: de cuius doctrinae veritate, quos mecum ratione et experientia disceptare velint, ad ea quae jam dicturus sum, at-

tentos esse quaeso.

Quaestio nimis non est de his febribus, quae ex nota et praexistentia materia ortum ducunt; nemo quippe inficiabitur, alteras febres a ventriculi vel intestinalium irritatione, per biliosam, putrescentem, vel alterius naturae heterogeneam et acrem materiam progredi; alterasque a miasmate varioloso, morbilloso, scarlatino, putrido, pestilenti caeterisque: quarum omnium nititur medela in correctione, et eliminatione materiei systhema nervosum et vasculosum excitantis et diversimode afficientis. In reliquis etiam febribus, quae non materiam praexistentem, corporique noxiam, sed alias agnoscunt causas, critica materies adest, quae, quamvis in singulis febribus varia sit, in omnibus tamen certa est et manifesta.

Eam in phlegmatis existere certo certius est; quia licet lentorem Boheraavianum fines arteriolarum obstruent, inflammationemque producentem, jure rejiciamus, in dubium revocari nequit, quod in phlegmatis a gelatinis, aut glutinis, quae in sanguine extant, per febrem solutione, novus, et qui antea sub eadem forma non stiterat humor appareat, qui extra venas cum sanguine aeris frigore induratus, crustam albam quam pleuriticam dicunt, efformat; quique sub forma puris, per urinas vel per alvum, vel per sputa propellitur, vel ad emunctoria pulsus, aut in membrana adiposa receptus, abscessus creat pene ab initio pure jam cocto refertos.

Nec difficile est criticae materiei in reliquis febribus existentiam probare. Quum enim sanguis in omnibus febribus ob minimorum vasorum aut atoniam, aut constrictionem, particulis acribus et heterogeneis plus minusve scateat; in declinatione febris, vasculis roboratis, aut laxatis, noxae particulae, quae ob secretionum et excretionum, aut suppressionem aut diminutionem in sanguine retinebantur, critice pelluntur.

Quod hujus excretionis per vias et causae et sedi morbi congruentes fiat, inter conditiones optimae crisis recensetur; nec in merito: quia quum noxiis humores in sanitatis statu, ea tantummodo petant vasa secretoria, quorum peculiarem sensibilitatem afficiunt, juxta ipsas inter humores secernendos, et organa quae secernunt, affinitatis leges, excretiones aestimandae sunt. Ita Hippocrates in aphor.

2. sect. 1. ait: "In perturbationibus ventris, et vomitibus spontaneis, si qualia oportet purgari purgentur, confert, et leviter ferunt; sin minus, contra.

Inter crisis signa, ea quae coctionem praenuntiant, cum Hippocrate et Galeno retuli. Impar enim est materia quam natura subegit, et ex parte excrevit, ad aegrum conficiendum. Ideo ipse fatetur Hippocrates, Galeno referente, in lib. 1. de Crisibus. "Quod coctio crisis celeritatem, et salubrem securitatem significat. Et in lib. 3. de Crisibus ait: Ego millies, quum dum crisis fieret, interessesem, neminem unquam vidi intereuntem, qui praecedentibus coctionibus crisim habuisse. Quid igitur per coctionem in morbis acutis intelligatur, quibusque signis, tam ea, quam quae illi opponitur cruditas, dignosci queat, explicandum venit.

Coctio graece *pepasmos*, ob analogiam inter fructuum, et morborum maturationem, teste Foesio, in morbis acutis datur, quum materia morbum efficiens devicta est, ac superata vi naturae, ut ad exeundum sit habilis. Galenus in Comment. lib. epidem. asserit: "Concoctionem humorum a solidis corporibus fieri, et opus esse naturae." Duretus quoque idem sentit: ait enim in Coacis: "Pepasmi causa effectrix est partium solidarum vitale principium." Ex quo evincitur, nil novum neotericos nobis attulisse, morbos in partium solidarum laesione, seu alteratione consistere censemtes, solidique vivi leges antiquis innotuisse.

Cocta ideo in morbis acutis materia dicitur, quae a praeternaturali statu in quo antea fuerat, remotior existit, et ad naturalem statum, a quo recesserat, propior. Idcirco, quia in sanis foeces alvinae, colore pallido, mollique consistentia excernuntur; urina pallida, tenuis, et sine faetore; sudores calidi aequabiliter e toto corpore fluunt; sanguis rubro colore in sanorum plethoricorum haemorrhagiis cum aequali seri portione e patulis arteriolarum osculis expellitur; saliva, mucci, et lachrymae subsalsae sunt excreta quae in acutis plus has sanorum qualitates referant, cocta judicanda erunt. Vitae enim viribus materiae mole, figura, cohaesione, mobilitate, caeterisque characteribus, sanis homoribus assimilis erat, subacta evadit; et eo modo humorum naturalium vel ex toto vel ex parte indolem refert, quo vasorum secretiorum peculia-

rem sensibilitatem afficiat, ut per haec sugi, et per emunctoria expelli possit.

Contrà verò cruda materia, quam *oma* nominavit Hippocrates, ea est, quae vel morbum progignit, et in corpore retinetur, vel quae ab ipso morbo producitur. Proinde, in principio et augmento acutorum febrilium, qui, vel ab humoribus intus depravatis, vel à particulis corpori infensis cibo aut potu intermixtis, ortum ducunt; non solum haec noxiae materiae crudae censerri debent, sed etiam omnes humores qui in corpore remanent: omnes quippe à naturali statu recedunt, viresque laedendi adsciscunt. In praedictis enim febribus sanguis è vena missus, vel densus vel solutus apparet; alvi fluxus vel pallidi vel cinerei, vel fusci, rubri, lividi, aut nigri; urina aut tenuis aut crassa, et absque sedimine; sudores vel copiosissimi et supra vires, vel frigidi aut nimium calidi, vel viscosi aut putridi, vel non universales, sed è capite et pectore tantummodo profluunt; lachrymae tenues et mordicantes; saliva vel non excernitur, et siccitas sitisque intolerabilis adest, vel est amara, viscosa, corrupta, aut copiosissima; vomitus virides, flavi, aut penitus nigri; uno verbo, ut jam dixi, omnes humores à natura abludunt, functionibusque obeundis impares redduntur.

Inter has humorum excretiones, urinarum prae caeteris, magni faciebat Hippocrates, earumque inspectionem multum ad presagiendum, et ad cruditatis et coctionis statum in morbis acutis praenosendum, valde conferre credunt omnis aevi sapientiores medici. Galenus enim in lib. 6 epidemiarum cap. 9 sic ait: "Urina secum habet tanti vigoris signa in acutis morbis, ut vel ipsi soli credendum sit; aliis verò accendentibus, et divinatio tibi erit firmissima, perpetuoque veridica." Willis idem sentit per haec verba in lib. 1.º de febrib. cap. 10: "Urinarum inspectio in febribus, prae caeteris quibuscumque morbis plus habet certitudinis, et maximi est usus: hinc enim aegri, et morbi status optime cognoscuntur, et medicae intentiones circa agenda melius dirigi possunt." Quomodo autem urina se praebat, tamquam coctionis signum, paucis absolvam.

Urinae vel sine contentis, vel cum illis apparent. Contenta nunc in superficie urinae vitro inclusae, jam in

medio, jam vero in fundo notantur. Quae in fundum resident. Graeci *hypostasses*. Latini subsidentias, residentia, sedimenta, aut subjecta appellant. Quae medium locum occupant, aeneoremata, sublimationem, vel suspensum dicunt: quae in supremo loco juxta superficiem cernuntur, nubes aut nubeculas vocant. Ita Rega in aphorismor. Commentar.

Urinae contentorum expertes, ut plurimum cruditatem indicant, minorem aut majorem, quo<sup>rum</sup> colore et consistentia plus minusve naturalibus respondent. Naturalis urina (ut Galenus refert in lib. prognost. Hippocratis), colore est modice croceo, et conditione media inter tenuem et aquosam, ac corpulentam, qualis jumentorum. Hinc urinae lucidae et albae, flavae, rufae, sanguinae aut nigrae, turbidae aut subjugales, semper mali ominis censentur, diversaque accidentia praesagiunt; quorum clinicas perutilis cognitio, ab Hippocrate, Galeno, aliisque naturae morbosae observatoribus petenda est.

Contentum urinae album debet esse, leve, et aequale, ut ait Hippocrates in lib. 2. prognostic. Ita, quod alium colorem refert, quod turbidum et crassum, quod squamosum, farinaceum, aut orobinum, magnae multumque per timescendae cruditatis indicium est: at contrá, album, leve, et aequale coctionis et proximae criseos salutaris prodromus. Nubecula quae bona est, et cum bonis signis die indicatorio apparet, crisim primo subsequenti die decretorio paenuntiat; ac praecipue, si nubem aeneorema, optimaque hypostasis sequantur, et salubre naturae conamen nullomodo turbetur. Ait enim Hippocrates in Coaca 54, apud Duretum in tractat. de Urinis: "Quibus Urina citato hypostasim habet, celeriter illi judicantur." Et in Coac. 1a. "Urina in febri quae albam et levem habet hypostasim atque constantem, citam illius dimissionem ostendit.

Morbi tamen dantur, in quibus sedimen, licet non omnes quas dixi qualitates referat, boni ominis censetur, tutamque crisim praesagit. Ita accidit praesertim in febribus inflammatoriis, quae non per benignam et perfectam resolutionem in primo septenario, sed per imperficiem aut per supurationem in secundo aut tertio judicantur. Ideo Hiqocrates in lib. de judicationibus ait:

" Exemplum urinarum ulcera facere oportet: nam ulcera,  
 " si repurgantur pure albo, celerem curationem indicant;  
 " si veró in saniosos humores transmutentur, maligna  
 " fiunt: eodem modo et urinae significant." Galenus in  
 " cap. 6. lib. 1.º de differ. febrium inquit: "Humorum pu-  
 " tredo quae fit in vasis, similis est ei quae in inflammatio-  
 " nibus et abscessibus accidit. Sed est ubi natura supe-  
 " rat, est ubi superarur. Superante quidem natura in  
 " abscessibus, pus fit: in venarum humoribus aliquid  
 " quod proportione puri respondet subdens in urinis; et  
 " ea putredo aliquid in se habet coctionis. Sic ea putre-  
 " factio quam coctionem diximus, semper ad unam puris  
 " speciem, et ejus notas habentem terminatur." Non ali-  
 ter Ballonius, Hollerius, et Jacotius. Primus enim circa  
 hypostasim urinarum ait: "Quod enim pus est extra va-  
 " sa, idem est hypostasis in vasis: febris enim est tamquam  
 " abscessus generalis, venarum tantum loco differens."  
 Secundus in Coac. 4. sect. 2. lib. 6. "Pus in pulmone  
 " effusum, à natura attenuatum, transmittitur in venas et  
 " arterias, atque hinc modó ad renes, modó ad intestina  
 " dimittitur mirabili naturae providentia, omnia molliente,  
 " ut salutem aegro quaerat. Tertius in eadem Coac: "Ex  
 " quo fit, ut per urinas pulmonis vomicae expur-  
 gari possint.

Sed non tantum puriformis hypostasis, sed etiam quae  
 subrubra est, et ante septimum diem cum urina quoque  
 subrubra prodit, salutaris est iis in febribus quae, vel ob  
 vehementiam, vel ob benignitatem, intra septem dies judi-  
 cantur. Ita saepissime in acutissimis inflammationibus,  
 et in synochis imputribus observatur. Si veró morbus ultra  
 septimum diem protrahatur, crisis non expectanda, donec  
 subrubra hypostasis die indicatorio in albam, levem et ae-  
 qualem, vel in puriformem convertatur. Sic intelligenda  
 et explicandá Hippocratis sententia in Coaca 3, apud  
 Duretum: "Urina quae subrubra est, habet que hyposta-  
 sim subrubram atque levem, siquidem ante septimum  
 diem fuit hujusmodi, septimanam exsolvit; sin autem se-  
 riūs, longiorem, vel omnino longam.

Attamen non solum materiae peccantis, sed etiam  
 partium solidarum, quae plus ad vitam servandam confe-  
 runt, et organi affecti ratio habenda est, ut de cruditatis

aut coctionis statu certum judicium ferre possimus. Ideo ex pulsu et respiratione, simulque ex majore minoreve partis affectae laesione, colligenda quoque sunt praesagia. Quando igitur in statu morbi symptomata intenduntur, et ex pulsu parvo, celeri, et inaequali vires labasci dignoscuntur, aegroti, etiam cum bonis excretionibus, in magno versantur periculo: et è contrario aliqua coctionis et futurae sanitatis spes affulget si symptomata mitescunt, viresque consistunt, tametsi excretiones crudissimae et pessimae appareant. Idem ac de pulsu, de respiratione sentiendum est: nam, si quadamtenus benevolentibus apertum vitae discrimen minatur laesa respiratio, apertissimum proculdubio iis jam gravi morbo jactatis.

Quamobrem Hippocrates variis in locis, et praesertim in lib. Praenotionum, bonam respirationem commendat his verbis: "Spirationis autem facilitatem existimari oportet, per quam magnam vim habere ad salutem in omnibus morbis acutis. Et quum in lib. 7. epidem. inter varios aegrotos, Eratolai puerum dissenteria cum terrificis symptomatibus affectum, ac pene conclamatum refert, et Cydios filium diurno, ac aequo gravissimo, et desperato morbo laborantem; in utrorumque historia, sanitatis, quam praeter spem adepti fuere, inter plurima existalia symptomata, unum tantum aderat signum, bona scilicet respiratio. Ait enim Hippocrates: "Respiratio, qualis per sanitatem fere semper moderata fuit." Cujus doctrinae veritatem pluries ad lectos aegrorum deprehendi, omnesque clinici praedicarunt: et qua super re Haenii in cap. 2. part. 8. Rat. medendi, sequentia verba memoriae mandanda sunt. "Quandiu bonam respirationem cernimus aegrotantium, concludimus spem vitae magnam superesse, quod aut illibata, aut per paucum laesa tantum innuméra organa esse oporteat, à quibus vitae dependeat perennitas, quodque cruditatis etiam summae coquendae spes bona affulgeat. Hinc nunquam desperabundi? Nunquam ne tristis est facienda prognosis? Non tristis, sed utcumque dubia tamen. Vel enim nobilis haec functio perrennando, universam morbi cruditatem emendatura, coccitura, expulsura est, sanitatemque redditura est; vel copia aut malignitate crudorum humorum aucta, functio bonae respirationis laedetur ac delebitur, unde mors;

"quandiu vero bona manet, bonam spem format.

Crisium inter bonas et malas divisione rejecta, hisque tantum pro veris, quae morbos vel integre, vel magna ex parte solvunt admissis, excretionumque salutarium characteribus expositis; dies dumtaxat in quibus praedictae salubres mutationes contingunt, vere criticorum nomen sibi adsciscere debent. Et quia horum cognitionem a primo naturae scrutatore Hippocrate etiam accepimus, duo hujus consoni textus, alter aphorismorum, alter prognosticorum, quorum veritatem omnis aetas, omniumque sapientum medicorum scripta patefaciunt, producendi sunt.

In aphorismo enim 24. sect 2. sic ait: "Septenorum quartus est index: alterius septimanae octavus principium: "est autem et undecimus contemplabilis; ipse enim quartus est secundae septimanae. Rursus vero et decimus septimus contemplabilis; ipse siquidem quartus est a decimo quarto, septimus vero ab undecimo." Et in prognosticlib. 3. huic sententiae altera persimilis continetur, quae ita se habet: "Ut enim saluberrimae febres, quae videlicet tutissimis fulciuntur notis, die quarto, vel antea quiescere solent; ita pessimae quaeque, et quibus periculosissima adsunt signa, die quarto, vel citius interficiunt. Primus itaque earum insultus ita finitur; alter in septimum prudicitur; tertius in undecimum; quartus in decimum quartum; quintus in decimum septimum; sextus in vigessimum. Igitur accessiones ipsae ex acutissimis morbis per quantuor in viginti auctae finiuntur."

Ex horum textuum littera constat, dies criticos juxta Hippocratem, vel indicatorios seu contemplabiles, vel decretarios seu judicatorios esse. Pro cuius doctrinae explanatione quaerad am perutilia proferam. Indicatorii dyes dicuntur qui coctionis signa demonstrant, crisimque proximo die decretorio praenuntiant; decretorii vero qui naturae triumphum per manifestas et salubres excretiones, vel abscessus patefaciunt. At quia morbi acuti quaternis, et septenis diebus ingravescunt, hique dies exitus boni vel mali indicia praestant, morbique solutionem afferunt, ipsorum cognitio necessaria censetur.

Singuli septenarii in duos dividuntur quaternarios, impropri e sic dictos, quia non ex diebus quatuor, sed ex tribus, et horis aliquot conflantur. Attamen, quum prima coctionis

signa post secundam exacerbationem diei quarti in initio septimanæ criticae appareant, et in fine septimi morbus per crisim solvatur, praedicta divisio parum aliena à veritate videtur. Nec septenarii critici septem explet dies naturales, ut docet Galenus in coment. 3. lib. I. epidem. per haec verba: Decretorios dies non esse integris hebdomadibus supputandos: quod clare apparet, ex eo quod decimus quartus, qui finis est secundi septenarii, est etiam initium tertii; et quod vigessimus, non autem vigessimus primus tertium absolvit septenarium, ut jam dixi, et ex ipso Galeno constat, qui in comment. lib. 1. "epidem. ait: " Vigessimus dies terminat tres septimanas, minime viges-  
" simus primus."

Scire tamen expedit, quod septenarius, qui finem morbo imponit, qui vel a primo morbi die, vel ab aliquo aut indicatorio aut decretorio initium capit, criticus dicitur; et quod ipsi dies, qui indices sunt unius morbi, sunt decretorii alterius, ut Galenus in 1. epidem. hisce verbis expressit: " Ostendimus vero in lucubratione de diebus decretoriis, " omnium esse decretoriorum validissimos qui quaterno " vel septeno circuitu fiunt. Ita primus septenarius cri- " ticus erit, si in eo judicetur morbus; et si judicium in " alium protendatur diem, hic terminus erit septenarii " critici. Ita quoque quartus non solum est index septi- " mi, quando hic crisim absolvit, sed etiam ipse criticus " est, ut plurimum in febribus synochis simplicibus, et in " morbis exacte peracutis. Undecimus etiam contempla- " bilis, ut quartus dicitur, et quia index decimi quarti, et " quia ipse plerumque criticus; tuncque supputatio sep- " tenarii critici incipit à quinto morbi die, septimusque " indicatorii munus explet. Spectabilis etiam erit deci- " mus septimus, et quia crisim in vigessimo futuram indi- " cat, et quia plura iudicia fert, terminusque est septenarii " critici, qui caepit in undecimo."

Ex historiis aegrorum in lib. epidem, ab Hippocrate recensitis constat, a quarto die usque ad vigessimum, quo temporis curriculo plura morborum acutorum iudicia fiunt; septimum, decimum quartum, et vigessimum, nota- biliora et securiora praebuisse. Septimus quippe viginti et octo iudicia tulit, ex quibus undecim tantum fuere lethalia: ex decem et novem aegrotis qui ad quatuordecim perti-

nen, decem et sex evasére; et quinque tantum periere ex sexdecim qui ad vigessimum referuntur. Ast in 4.º die sex bona Judicia et totidem mala notata accepimus; in undecimo quator bona, tria mala, et duo dubia, quia in alio ex subsequentibus diebus sanitas perfecta fuisse refertur; et in decimo septimo, sex bona, et duo mala. Hippocraticis observationibus Galenicae exacte congruunt. En verba Galeni in capitib. 2. 4. et 5. lib. primi de diebus decretoriis, circa diei septimi in morbis judicandis efficaciam et prae-eminentiam: "In septimo, omnes judicatos nec numerare possum, multi siquidem morbi sunt, qui in septimo die judicantur absolute, pariter, et secure, tuto, aperte, cum bonis signis, et dextere. Primum omnium dierum decretoriorum septimum dicimus, non numero videlicet et ordine primum, sed potentia et dignitate: omnes enim summatim decretoriorum notas occupat, quin etiam plurimos judicat et absolute, cum manifesta excretione vel abscessu, sine vehementi periculo, et ut plurimum quartus eum praenuntiat. Etenim septimus et frequenter solvit, et perfecte, et cum fide, et salubriter, et sine periculo, et clare, et notabiliter." Decimum quartum septimi naturam maxime imitari, et proximum his vigesimum esse, ex ipso Galeno constat.

Ex dictis patet aphorismum 24, sectionis 2.æ et tex-tum prognosticorum allatum, dierum vere criticorum esse normam; in illisque Hippocrates post multas observationes accuratissime notatas, dies tantum, qui spectabiliores et securiores crises dederant, recensuisse: primumque inter hos obtinere locum, septimum, decimum quartum, et vigessimum; secundum vero quartum, undecimum, et decimum septimum. Nam in caeteris intercalaribus diebus nec fidas, nec perfectas, nec sine morbi recidiva, crises esse experientia dicerat: post vigessimum vero diem ad centessimum et ultra, absque perturbatione critica, nec certis indicibus, nec subito morbos solvi: et ideo haec judicia non crisis proprie dictae, sed lysis, seu lentiae solutionis nomen sortiri. Constat quoque ex iisdem sententiis morbos duntaxat acutos febriles crisibus esse submissos; caeterorumque nullum, nec posse in his praesagiri certum solutionis diem: horumque plurimos, vel quia in una tantum corporis parte moram faciunt, quin totum

circulatorium *systema* in *consensum* trahant, ut *apoplexia*, et *cujuslibet visceris spasmodica affectio*; vel *quoniam ex dilatatione aneurismatica*, vel *a tumore, abscessu, aut laesione alicujus organi naturae, atque artis viribus indomabili, ortum ducunt*, aut *sine excretione manifesta abire, aut miseros aegrotos e medio tollere.*

Nullus est *clinicus*, cui de *hujus doctrinae Hippocraticæ veritate dubitare liceat*, nam *eam firmam esse quotidie experiuntur*. Attamen, quum nonnulli sint, ut *antea dixi*, *quorum haec crisium et dierum criticorum cognitio fugiat intelligentiam, praecipua quae adversus eam ex ipso Hippocrate argumenta sumuntur, confutare satagam*.

Tam in diebus *criticis* admitendis et notandis, quam in eis rejiciendis, omnes ex uno Hippocrate, velut ex *communi fonte hauriunt argumenta: similiter ac orthodoxi et haeterodoxi*, qui ex *Sacra pagina tela depromunt, quibus sese mutuo confodian*t. Et quemadmodum acatholici vel litteram invertunt, vel *textus truncatos tradunt, vel si integros, eos dumtaxat, qui pro suis erroribus stare videntur, et nullatenus eos, in quibus veritas absque velamine detegitur; ita anti-Hippocratici qui doctrinam dierum criticorum (cujus auctor est Hippocrates), per ipsum revertre conantur, sententias seligunt hippocraticas, quibus sibi aliisque persuadeant, divinum senem sibimet obsistere, et dierum criticorum doctrinam ex futili Pythagorico numerorum *systhemate hausisse**, Ideo quod Catholici Doctores pro tuenda divina veritate feceré, faciam et ego. Illi in rebus dubiis *Scripturam et Apostolicam traditionem consuluere*; ego etiam et ipsum Hippocratem, et *principios ejus clarosque commentatores in consilium adhibeo*.

Primus Hippocatis *textus*, qui tam ad *tuendos, quam ad evertendos dies criticos sese offert*, est qui in lib. I. <sup>o</sup> epidem. sic se habet: “Est autem primus decretorius circuituum qui diebus paribus iudicant, quartus, “sextus, octavus, decimus, decimusquartus, vigessimus “octavus, trigesimus, quadragesimus octavus, sexagesimus, octuagesimus, centesimus. Et circuitum qui judit dicant in diebus imparibus, est primus, tertius, quintus, “septimus, nonus, undecimus, decimus septimus, vigessi-

“mus primus, vigessimus septimus, et trigessimus primus.  
 “Alter est aphor. 36, lib. 4. ubi sic ait: Sudores febrici-  
 “tanti si inceperint, boni et tertio die, et quinto, et septi-  
 “mo, et nono, et undecimo, et decimo quarto, et decimo  
 “septimo, et vigessimo primo, et vigessimo septimo, et tri-  
 “gesimo quarto; qui vero non ita fiunt, laborem signifi-  
 “cant, morbi longitudinem, et recidivam.“

Duae primo aspectu validissimae insurgunt contra Hippocratem objectiones ex littera et comparatione harum sententiarum: ex littera, tum quia plures quam quos antea assignaverat dies, critici recensentur; tum etiam, quia in prima sententia à tertio usque ad undecimum diem, novem sine interruptione criticos habemus dies, et post istos frequens est criticorum numerus. Si singuli igitur novem dies, (ajunt impugnatores), ut critici enarrantur, in quolibet eorum crisis evenire potest; proindeque medicus, vel in illis nil agendo, sed solum expectando munus suum explebit, ne naturam in suo opere critico perturbet; vel quod melius et securius, dies criticos despiceret debet (ut Celsus monet), et accessiones tantum intueri. Argumentum ex duorum textuum comparatione de- sumptum, sequens est. In primo tam pares, quam impares dies decretorii censemuntur; et in secundo, impares tantum decernendi praerogativa donantur, quod manifestam contradictionem involvit.

Attamen, si attente quod prius dixi, perpendatur, nil difficultatis, nil contradictionis in predictis textibus apparebit. Lato quippe sensu Hippocrates, non solum morborum, aut in salutem, aut in interitum terminaciones, sed etiam singulas aut salutiferas, aut noxias humorum excretiones, crises, sive judicationes nominavit. Ideo in libros epidemiarum, tam judicatos dixit aegros qui perierte, quam qui sanitatem sunt adepti, aut in meliorem, aut in pejorem statum redacti. Et quum nullus pene sit dies, in quo aliquid ex his non eveniat, nihil mirum quod plurimos morborum dies inter judicatorios recenseat. Ast, quum in aphorismo citato, bonum judicium per sudores in acutis ferre voluerit, dies tantum criticos nominat, qui salutem portendunt; nam in caeteris, aut malos, aut suspectos esse experientia didicerat. Quod apertius indicat in aphor. 61° sect. 4. per haec verba: “Febricitanti,

“ nisi in diebus imparibus febris reliquerit, solet reverti.  
 “ Et in Coac. 85 lib. 4. apud Duretum: “Quibuscumque  
 “ non critico die febres quiescunt, iis revertuntur.“

Ex quo colligitur dies impares tantum esse criticos; nam acrisia tam crisis vacuitatem, quam pravam crisim apud Hippocratem denotat, ut docent Hollerius et Jacobius in Coac. 40. lib. 2. et Galenus in lib. 3. epidemiarum sic ait: “Si accessiones diebus paribus fiunt a principio statim ad sextum diem, pessimum judicium fore praenuntiant; interim in longum producendam morbum. At siquidem admodum moveantur, quarto die gravem habentem accessionem, ad diem sextum de vita decedere. Et Duretus in Coac. 85 jam citata idem sentit per haec verba: Omnino igitur nil fit ad salutem, neque appetere, nil denique medico satisfacit quod diebus et periodis criticis non appareat, atque fiat. *Non aliter loquitur Sennertus in cap. 11° de diebus criticis.* Ait enim; Etsi judicia seu crises, morborumque solutiones omnibus diebus accident, ut confitetur Galenus lib. 1. de diebus decretoriis cap. 2. tamen peculiaribus quibusdam et determinatis diebus, natura frequentiores et meliores crises instituit. Qui dies ob id crisimi, et critici dicuntur. Reliqui vero dies in quibus crises rarius, vel non bonae accidunt, non critici dicuntur. Nam etsi quae perfecta est ad mortem mutatio, quolibet die integre fieri possit, tamen quae ad bonum futura est mutatio, et critica evacuatio, non nisi certis et statutis diebus, firma, constans, ac fida est,

Hinc est quod in viginti quinque aegrorum historiis, qui in sexto die, qui par est, judicati fuere, tredecim recidivam sunt passi, unaque tantum Virgo Larissea perfecte fuit judicata per sanguinem e naribus profluentem, et sudores universales copiosissimos. Attamen, quum in ipso judicii die, et ante, et post eum catamenia profluxissent, dubium est, an ad ipsum diem sextum, an ad aliud ex subsequentibus judicatio referenda sit. Ideo Galenus doctrina hippocratica eruditus, et propria experientia edoctus in lib. I. de diebus decretoriis, sic ait: “Incredibile est quanta cum perturbatione, periculo et metu, etiam si ad bonum tendat crisis, sexto die accidat, quasi aeger statim fato sit functurus.“ Et in eodem cap. si-

cut septimum diem bono Regi comparat, ita sextum tyranno. "Ille siquidem clementior, tamquam bonus aliquis „ princeps, iis quos judicat, vel suplicii partem adimit, vel „ illustrat victoriam. Hic contra, vel pernicie ejus quem „ judicandum accepit gaudet, vel salute dolet, quaeritque „ ubi animum expleat, male aegrum tractet, et longa puni- „ tione exerceat." Ut die sexto crises, aut lethales, aut suspectae, aut infidae a Galeno caeterisque clinicis creduntur, similiter quae in reliquis paribus diebus, et praecipue quae in octavo, decimo, duodecimo, et decimo sexto eveniunt. Et quamvis, exclusis paribus diebus, plures imparium supersint inter criticos recensitos, quum singuli morbi, aut ob propriam et generican naturam, aut ob aegri temperiem, aetatem et caetera, singulos sibi vindicent dies in quibus optime judicentur, [ quod praegressis signis coctionis ut plurimum venit], medicus tamen, nulla ratione habita imparium dierum, dum cruditas adest, aegro opitulabitur remediis indicatis.

Sit pro exemplo pleuritis. Notum est medico numerosissimas hujus morbi historias perlegendi, eum nullis naturae conatibus, nullisque artis adminiculis ante septimum diem posse optime judicari, et adusque decimum quartum ejus judicium aliquoties protendi. Ei quoque constat, crisim coctionis signis apparentibus, post duas accessiones, si nihil obstiterit, esse perventuram. Ipse igitur intra quatuor primos dies remedia magna adhibebit; et si post quartum diem status cruditatis vigeat, quum morbus jam protrahi debeat, et intra primum septenarium apprime sciat non posse judicari; si et venae sectione, aliisque medicamentis adhuc opus esse cognoverit, ea sine metu praescribet, intereadum, vel signa coctionis prodeant, proximanque crisim praenuntient, vel vires ultiro fatiscant, et aeger inter mortuos appareat.

Verumtamen, quum apud plures Europae medicos, et quosdam nostratum caecos eorum sectatores, non multis ab hinc annis increbuerit opinio venarum sectionem omittendi etiam in synochis febribus, et acutis inflammationibus, quod exitiale systhema sapientes veteris orbis clinici obliterare conantur, et ego quoque in meis scriptis indesinenter confuto; doctrinam a me allatam iterare atque exponere, opportunum et perutile censeo. Hippocra-

tes, Sydenhamus, Boheraavius, caeterique doctissimi medici in acutis inflammationibus, venas tundere jubent intra quatuor primos morbi dies, habita ratione magnitudinis phlegmasiae, aegroti aetatis, temperamenti, caeterarumque circumstantiarum. Experientia quippe omnium saeculorum didicere, hac tempestiva methodo acutas inflammations ut plurimum septimo die fauste judicari; hocque transacto, vel in resolutionem imperfectam, vel in lubrici exitus supurationem aut in extiosam gangrenam abire. Sed quia et in tertia hebdomada, et etiam post multos alios dies inflammations interdum perfecte solvuntur, Hipocrates Anaxioni in octavo die acutissimae pleuritidis, venam secuit, nec unquam clinicos hanc methodum secutos fuisse paenituit, nec novum est eis in tertia quoque hebdomada, et etiam hac transacta, inflammations aliquando perfecte solvi. Attamen, quoniam haec auspicata morbi solutio rarissime fit absque iteratis venae sectionibus; si hae omissae fuerint, vel medici inscitia, vel sera istius admissione, in quocumque morbi die dum ejus phlogistica cruditas adest, viresque patiuntur, sanguis mittendus quoadusque symptomata flarescant, vel mors prae foribus adsit; quod idem intelligendum de purgantibus, caeterisque medicamentis, quorum indicatio vigeat.

Inter plures observationes, quas mihi diurna praxis suppeditat, unius duntaxat reminisci placet. Quum Dominam Theresiam de Villalta lecto jacentem, octavo morbi die fortuito vidisem, et ex pulsu magno, celerique, tussi, difficii respiratione, atque levi delirio, perineumoniā pati conjectarem, quod venae sectio omissa fuisse, et aquam gelidam pro comuni potu biberet, merito mirabar. In consilium illico adscitum illustrem medicum, cui Dominae salus commissa fuerat, qui que non in perineumomiam, sed in febrim ardentem biliosam suspicionem conjiciebat, a gravi lapsu mentis abduxī, et comuni sententia statim venam separe jussimus. Obstupui equidem ad aspectum sanguinis, qui tan albus et concretus ex toto apparuit, ut indurati casei speciem referret: vespere vena denuo tunsa fuit, sequenti die bis quoque iterata, et hoc unico subsidio, decimo quarto morbi die, sudoribus copiosissimis profluentibus, aegrotam pene conclamatam incolumem salutavimus. Nullam subinde passa fuit recidivam, sospesque multos per anuos, tandem apoplexia correpta, e vita migravit.

Qui Hippocratem criminantur, ex textibus aphor. 24 sect. 2.<sup>o</sup>, et prognosticorum jam citatis, pythagoricos numerorum errores ad rem medicam transtulisse, probare moluntur; et ex iisdem collatis cum illis epidemiarum, et aphorismorum 36. sect. 2.<sup>o</sup> (quos supra memoravi), eum esse auctorem concludunt, qui sibi ipsi contradicat. Quin enim numero septenario magnam tribuerent Pythagorici efficaciam, quamvis eam in praxis exercitio Hippocrates nunquam observasset, pro confesso adversarii statuentes eum doctrinam pythagoricam vehementer amplexatum fuisse, vim decernendi habere septenarios dies credisse sentiunt. Et quia in praesagior. lib. et in aphorism. 24. sect. 2. alios quos in lib. epidemiar. et in caeteris aphorismis annumerat dies, eum in his assignandis ambiguum, et titubantem fuisse censem. Sartus tamen tectusque apud eos manssisset Hypocrates, si amore veritatis impulsi, eum ipsum in his, aliisque rebus dubiis demisse consuluissent.

Revera nil facilius quam Coum de Pythagorismo purgare. Qui enim omnes impares dies a tertio usque ad undecimum; qui vigessimum et quadragessimum non septenarios, crisimos esse dixit, a Pythagorico systemate censendus est immunis. Textus vero inter se dissimiles superest conciliare, quod non parvam difficultatem affert.

Nam in aphorismis, et in lib. prognosticor. numerum dierum criticorum restringit adeo, ut plures dies in illis omisserit, qui in lib. 1. epidem. recensi videntur; quin et in aphorism. 36. sect. 4.<sup>o</sup> alii critici notantur dies secus ab illis qui leguntur in aphorism. 24. sect. 2. Et quod mirum, ipse aphorismus 36. sect. 4. alio modo in lib. de judicacionibus transcriptus appareat. In hoc enim dies decimus septimus omittitur, et trigessimus pro trigessimo primo numeratur. Iam vero dixi, Hippocratem in libris epidemiarum dies notasse, qui morborum mutationes dederant, eosque criticos nominasse. Et quia post epidemiarum libros, aphorismos et praesagia conscripsit, in his, quos vere criticos dies, fidos et securiores observaverat, tantum modo recensuit. Objectio tamen viget ex disparitate duorum aphorismorum desumpta; nam in altero vigessimus dies, in altero vigessimus primus pro critico habetur—Illa tamen facile solvitur, si perpendatur, quod omnes codices,

eamdem aphor. 24. sect. 2. lectionem praestant; 36 vero sect. 5 variam et inaequalem. Galenus v. g. non legit 21. sed vigessimum diem, quem commentatores melioris notae sequuntur. En verba Galeni in expositione hujus aphorismi: "Non parva autem est de diebus scriptis in „aphorismo discordia, quum alii alios pro arbitrio scribunt. „Nos vero illa secuti, quae ab ipso Hippocrate scripta „sunt, et in prognostico, et in epidemiis, et in ipso libro „aphorismorum, ipsorum fecimus commentationem."

Et revera, tam ex libris epidemiarum, quam ex aphor. 24. sect. 2. et ex textu prognosticorum. diem 20. et non vigessimum primum, juxta mentem Hippocratis, criticum esse probari potest. Nam in tot aegrorum historiis unam tantum scilicet Dealcii uxorem refert vigessimo primo die cum morte judicatam, vigessimus vero e contrario, decem et sex judicia dedit, quorum 10 fuere bona, quinque mala, et unum imperfectum. Et quum ex praedictis historiis, quas in lib. epidemiarum redegerat, aphorismorum et prognosticorum sententias efformasset, incredibile est, eum diem, qui unum tantum et pessimum judicium, et non potius quem plura et bona dederat, criticum dixisse. Et si quis ob nimiam arguendi pruriginem, nullum in conscriptione istius aphorismi circa diem 21, errorem irrepsisse dicat, ex eo quod in lib. judicationum, idem vigessimus primus qui in aphorismo 36. sect. 4. <sup>o</sup> repetatur dies, ab Haenio qui praedictas objectiones ad amussim diluit, hoc responsum habebit. "Libellum judicationum, quia nec „in methodo, nec in stilo Hippocratem redolet, Erotianus, „caeterique sapientiores critici ex genuinis medicinae Pa- „rentis operibus expungunt, et suppositiis adsciscunt; eum- „que Foesius flocci facit, ut e variis sententiis hippocraticis „consarcinatum"—{Qualis ergo criminatio in Hippocratem ex hoc libello sumi potest? Et quod auctor illius, vel incuria, vel ignorantia aphorismum male transcriperit, {Quid Hippocratis refert?

Si igitur apertum est ex ipso Hippocrate, ex Galeno et ex praecipuis commentatoribus, diem 20. et non vigessimum primum esse vere criticum, non alia designari causa videtur varietatis aphorismi 36. sect. 4. in pluribus codicibus a Galeno designata, quam error ab scriptorumibus com-

missus, ut conjectat doctissimus Haenius, qui suam sententiam effert sequentibus verbis: „Graecis moris est „litteris exponere numeros. Alpha cum accentu gravi „in vertice denotat unum, Beta duo, Gamma tria. &c. „A littera Jota, numeros decimos, sive ut vocant decimales, ordiuntur: a littera Rho, centenarios: millenaria, riis, accentum ponunt infra litteram.”.....

....” Quia nunc ante inventam typographiam, libri omnes „stilo vel calamo exarabantur, quiue scribendi arte vic-tum quaeritabant, veloces eos in opere illo esse oportebat, nil committendis in eo erroribus facilius fuit; potissimum, si manuscriptorum vetustas *vietas* literas contine-ret. Undenam aliter manuscriptorum complurium varietas tam stupenda, tantaque contradictio nata? Id quod eruditus Foesius toties acerbissime conquestus est. Merito proinde concludimus, Notarios, sive antigraphos similitudine litterarum numeros designantium deceptos fuisse, quod in *vietis* manuscriptis facile, saepiusve eosdem numeros (quod festinantibus sole-ne), omisisse.”

Nihil igitur veri contra Hippocraticam crism et dierum criticorum doctrinam, ejus detractores attulisse fatendum; eamque ad nos omnium saeculorum experientia fulcitam pervenisse, et ipsam ad subsequentes aetates perventuram.

---

## MENDORUM CORRECTIO.

---



In pagin. 8, lin. 7,—Legitur interpretationss.—Lege *interpretationes*.

In pagin. 23, lin. 16,—Legitur, venit,—Lege—*evenit*.

In pagin. 24, lin. 30, et 34,—Legitur Comuni,—Lege *Communi*.

